Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Thesaurus armorum spiritualium ultimo mortis conflictui comparatus et collectus - Cod. Donaueschingen 352

Villingen, Benediktinerkloster St. Georgen im Schwarzwald, 1733

"Forma Absolutionis S. Scapularis pro agonizante [...]"

urn:nbn:de:bsz:31-93309

Visual Library

liberet te à præſentis, et futu=
ræ vitæ poenis, dignetur purga=
torij cruciatus remittere, portas
inferi claudere, paradyſi iannam
aperire, téq; ad gaudia ſempi=
terna perducere per ſacratiſsi=
ma ſuæ vitæ, Paſsionis et
Glorificationis Myſteria in
Sanctiſsimo Roſario comprehenſa.
Qui cum Patre et ſpiritu
Sancto Deus unus vivit et
regnat in ſæcula ſæculorum.
Amen.

Forma Abſolutionis
S. Scapularis pro Agonizante.

Dictô Confiteor. etc. Misereatur. etc.

zii.

Indulgentiam. ℟. Sacerdos dicit ſequentes Orationes.

Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, qui omnia horribilia tormenta pro peccatoribus ſubijt ut eos ad vitam revocaret, ſalvat omnes, et neminem vult perire, neq; vult mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquirit. Ipſe nunc ſuâ infinitâ miſericordiâ te reſpiciat, avertat omnem iram, et indignationem atq; per indulgentiſsima Miſericordiæ tuæ viſcera tibi remittat univerſas iniquitates tuas, et quascunq; pœnas, ex rigore maximæ Juſtitiæ ſuæ debitas.

Zeiz.

Ego autem ipſius Domini Noſtri
Jeſu Chriſti indignus famulus
et Miniſter ex Authoritate
SS. Apoſtolorum Petri et Pauli,
et Sanctæ Romanæ Eccleſiæ,
item ex privilegijs per Summos
Pontifices, Fratribus et
Confratribus Sanctiſſimæ Ma=
tris Mariæ de Monte Car=
melo conceſſis, atq; ex Licen=
tia, poteſtate, et commiſſione
mihi à meis Superioribus impo=
ſita, in quantum poſſum, et
debeo, declaro te conſequi
indulgentiam plenariam, et
remiſſionem Omnium peccatorum

tuorum (si tamen hâc vice è
vita migraveris, aliàs eandẽ
tibi reservo pro ultimo Mor=
tis tuæ Articulo) In Nomine
Patris ✠ et Filij ✠ et
Spiritûs Sancti ✠. Amen.

Ego insuper eâdem Autho=
ritate tecum dispenso super
omnes negligentias, si quas
contraxisti istum Sacrum
Habitum deferendo, et declaro,
atque significo, te Creaturam
Dei fore absolutam hic, et
ante tribunal Domini Nostri
Jesu Christi, ab omnibus poe=
nis tibi in purgatorio
debitis propter peccata, quæ

ziæ. contrà Bonitatem Dei vivi et veri commisisti, teq; manifesto restitutam illi innocentiā, quā in Baptismo per Sacrum Salvatoris lavacrum induta fuisti: In Nomine Patris ✠ et Filij ✠ et Spiritûs Sancti ✠. Amen.

Oremus.

Dominus Noster Jesus Christus, Pater Misericordiarum, et Consolator peccatorum, qui dixit, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat, nec venit vocare Justos, sed peccatores ad poenitentiam, ipse suā

ineffabili Misericordiâ, et
solitâ pietate ad veram Cordis
Contritionem te vocet, et Gra=
tiam devotæ Pœnitentiæ in=
spiret, ut dignè Remissionem
negligentiarum tuarum acquire=
re, et indulgentias hujus Sacri
Carmelitici Habitûs obtinere,
atque cum Electis ejus ad æter=
na gaudia valeas feliciter
pervenire. Qui cum Patre
et Spiritu Sancto vivit et
regnat in Sæcula Sæculorum.
Amen.

Oremus.

Adesto Domine Supplicationibus
nostris, et istam Creaturam

216.

ad tuam sanctissimam Imaginem Creatam, tuô propriô Sanguine redemptam, tuâ Providentiâ ineffabili conservatam, gubernatam, custoditam, et salvatam quam nos in tuo Sancto Nomine ad participationem Omnium Bonorum Spiritualium, et Confraternitatem recepimus, bene✠dicere digneris, et præsta: ut te largiente devotè te diligat te quærat, te inveniat, ad te tendat, atque suffragiis huius S. Ordinis B. V. adiuta, vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Maria Mater Gratiæ, Mater Misericordiæ.

Oratio.

Defende quaesumus Domine
Beatâ Mariâ semper Virgine
intercedente, istam ab omni
adversitate familiam, et
totô corde tibi prostratam
ab hostium propitius tuere
clementer insidijs. Per Christum
Dominum nostrum. Amen.

Precatio Ecclesiae, cùm Aegrotus iam expiravit.

Kyrieeleison.
Christe eleison.
Kyrieeleison.